

Folia 2-3 pollices longa 1-2 lineas lata, caules pedales vel longiores gracillimi. Facies *Hieracii porrifolii*.

15. **C. Athoa** (Boiss. Diagn. Ser. I. 11, p. 57) radice verticali, collo cespitoso squamoso, caulibus tenuibus ad medium vel inferius furcatis 2-4-cephalis ad dichotomias foliis paucis anguste linearibus basi lanatulis obsitis, foliis radicalibus rosulatis præter petiolos puberulos glabris anguste obovato-oblongis obtusis vel lanceolatis et anguste lanceolato-linearibus acutis dentatis runcinatis rarius subintegris omnibus longe in petiolum attenuatis, capitulis mediocribus longe pedunculatis. involucri adpresse pubescentis nigricantis phyllis externis triplo brevioribus linearibus acutiusculis internis oblusiusculis anguste albo-marginatis receptaculo areolato denticulato, acheniis ipso apice subattenuatis pappo niveo sublongiore ♀. *H. bracteolatum* Fries Epicr. p. 71 non Sm. Prodr. II, p. 135.

Hab. ad rupes cacuminis montis Athos Macedoniae (Auch. 3277! Friv! Orph! Pichler!).

Caulis cum pedunculis 6-10-pollicares, folia 3-6-pollicaria 4-7 lin. lata, facies *Leont. hastilis* sed capitula subminora.

16. **C. Sahendi** (Boiss. et Buhse Aufz. p. 141, tab. 10) radice verticali, rhizomate pluricipiti, collo fusco-squamoso, foliis omnibus radicalibus glabris anguste oblongo-vel lineari-lanceolatis in petiolum attenuatis runcinato-pinnatifidis laciniis patentibus vel reversis infimis lineari-setaceis, caulibus nudis foliis multo longioribus mono-vel oligocephalis glabris, capitulis minutis longe pedunculatis, involucri pallidi phyllis margine membranaceis ad medium dense setosis eglandulosis ab infimis brevibus ad intima lanceolata sensim elongatis, acheniis... ♀.

Hab. in monte Sahend prov. Aderbidjan prope Schah Jordi 8400' (Buhse!).

Ex unico specimine nota et ulterius observanda, phylla involucri ut in *C. heterotrichâ* imbricata sensim elongata, sed capitulum abbreviatum eglandulosum, folia glabra; affinis quoque facie et indumento eglanduloso *C. Huetii* phyllis longioribus et involucrio calyculato diversæ.

17. **C. Huetii** (Boiss. in Ky. Pl. Arm. exs. 1859) radice verticali, collo nigro-squamoso, foliis radicalibus glabris vel parce et minute setuloso-asperis oblongis et lineari-lanceolatis acutis in petiolum attenuatis semipinnatifidis lacinulis remotis triangularibus et linearibus inferioribus retrorsis, caulibus scapiformibus foliis quadruplo longioribus monocephalis vel furcato-dicephalis glabris præter squamam subulatam ad dichotomiam nudis, capitulis longe pedunculatis mediocribus, involucri livescentis phyllis dorso setis tenuibus eglandulosis flexuosis obsitis lanceolatis acutis, externis paucis quadruplo brevioribus, acheniis obsolete striatis apice subattenuatis. pappo niveo brevi ♀.

Hab. in Armeniâ Turcicâ circa Erzerum (Huet!), in argillosis præruptis summitatis montis Bingöldagh 9500' (Ky. 500!).

Folia 2-2½-pollicaria 5-7 lin. lata, scapi cum pedunculis 8-10 pollicares. Affinis *C. heterotrichæ* differt indumento florum non glanduloso et præsertim phyllis exterioribus non sensim elongatis sed inter se æquilongis calyculiformibus et acheniis obsolete striatis.

18. **C. fætens** (Fröl. in D.C. Prodr. VII, p. 172) radice verticali, caule pumilo rigido monocephalo (vel ex Willd.) 2-3-cephalo, foliis sub lente minute puberulis omnibus radicalibus runcinato-pinnatifidis sublyratis segmentis breviter triangularibus, capitulo majusculo, involucri nigricantis parce pubescentis phyllis adpressis oblongo-linearibus obtusis inferioribus dimidio brevioribus intimis apice subangustatis, acheniis... ♀. *Hieracium fætendum* Willd. Sp. III. p. 1575.

Hab. in Armeniâ (herb. Willd!)

Species valde obscura ex specimine incompleto tantum nota, folia sesquipollicem longa et capitulum omnino *Taraxaci* sed ecalyculatum, caulis 1-2-pollicaris ex specimine herb. Willdenoviani monocephalus sed ex cl. auctore interdum 2-3-cephalus; a *C. Huetii* foliorum lobis brevibus, phyllis obtusis nec acuminatis, etc., aliena.

\* \* Monocephalæ.

19. **C. heterotricha** (D.C. Prodr. VII, p. 168) radice verticali, collo cespitoso squamoso, foliis omnibus radicalibus pilis albis rigidulis papillaribus hirtellis lineari-oblongis acutis in petiolum attenuatis semipinnatifidis dentibus paucis triangularibus vel linearibus acutis, scapis monocephalis foliis triplo longioribus parce aculeolato-scabridis, capitulo mediocri, involucri phyllis paucis imbricatis ab externis ovato-triangularibus ad intima lanceolata livescentia auctis omnibus membranaceo-marginatis medio dorso setis glanduliferis obsitis cæterum glabris, acheniis tenuiter multistriatis apice vix attenuatis, pappo niveo ♀. *C. Kotschyana* Boiss. Mss. in pl. Kotsch.

Hab. in regione alpinâ Persiæ austro-occidentalis, Zerdkuh (Auch!), mons Sebsekuh ditionis Bachtiaris (Haussk!), alpes Kuhdaëna (Ky. 800!). Fl. Jul.

Folia cum petiolo sesquipollicaria 5-6 lin. lata, scapi 4-6-pollicares, capitulum magnitudinis *Leont. squamosi*, involucrum 6-7 lineas longum flosculis brevius! nec longius, achenia sub lente ad costas scabridula.

20. **C. alpestris** (Jacq. Austr. tab. 191 sub *Hieracio*) radice elongatâ fusiformi, caule monocephalo præter squamam linearem aphylo vel inferne paucifolio oligocephalo, foliis oblongis vel lanceolatis denticulatis vel runcinato-pinnatifidis in petiolum attenuatis obtusis vel acutiusculis, capitulo magno, involucri atroviridis phyllis obtuse lineari-lanceolatis præter pubem brevem setis glanduliferis plus minus obsitis, externis paucis dimidio brevioribus, acheniis elongatis jam infra medium superne attenuatis, pappo niveo ♀. *C. alpestris* Tausch Böhm. p. 79.